

nissimo esse, aut sanctos Angelos lecto adstante, cantus eorum dulcissimos se audire, aut ipsum cœlum velut regium Deithronum, Christumque glorificatum cernere sibi visi fuerint. Quem vitæ æternæ in hac mortali vita dulcem prægustum, non autem meras speculationes aut imaginationes corruptæ vi morborum phantasie fuisse, judicant Theologi Lubecenses, Hamburg. & Liueburgenses P. I. *Der Lehr- und Schutz-Schrifft wider den Gethm. Offenb. Patron.* p. 335. seqq. & exempla varia ipsi adducunt: v. g. *Stephani Act. VII.* Presbyteri cujusdam, qui Cypriani Collega fuerit; Theodori martyris, tempore Juliani Imp. & recentia plura ex variis Scriptoribus collecta: quibus, si opus foret, etiam alia possemus addere, non incertis relationibus nobis cognita.

LXXII. De quibus ut recte judicetur, sciendum est, utique prægustum beatitudinis habere suos gradus ac differentias, ac dari alium quidem *communem* fidelibus, cuius omnes possunt fieri paricipes & per ipsum fidei sensum participes fiunt: qualis est ille quem §. XLVI. descripsimus; atque eo pertinere credimus loca Ebr. VI. v. 4. & I. Pet. II. v. 3. alium vero *rariorem* ac peculiari Spiritus S. gratia collatum: ubi rursum vel imagines quædam phantasie dormientium aut vigilantium supernaturaliter objiciuntur; vel sine istis, sanctæ quædam cogitationes in intellectu, ac motus in voluntate singulariter excitantur: atque huc referenda sunt, quæ §. proxime præced. indicavimus exempla. Ita ante nos, approbantibus & laudantibus Theologis Argentinensibus *B. Dorscheo*, & *B. Dannhauero*, in Libro supra §. II. citato, cui titulus *Aurora*, sive *Prægustus vitæ æternæ*, docuit *B. Israël Murschelius*, qui Cap. II. descriptionem internæ illius voluptatis animæ tradens, atque inter cætera num. VI. p. 72. exponens, quod sit *motus* quidam *subitaneus*, qualem veteres dixerint esse *raram horulam brevem morulam*; quique sit quasi osculum divinum, momento illatum; aut suavissimus odor, cito afficiens, citoque deficiens; hac occasione monet, se loqui de *gaudio illo in virtute sua sublimiore*. Alias enim addit, *sicut quotidie manna cum rore decidit*; ita fideles quo-